Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

stantias esse proposuit.

COMMUNE est autem omni substantie in subiecto non esse. Prima enim substantia nec de subiecto dicitur nec in subiecto est. Secundarum vero substantiarum constat quidem et sic quod nulla est in subiecto. Et enim homo de subiecto quidem aliquo homine dicitur, in subiecto vero nullo est. Neque enim in aliquo homine homo est. Similiter autem et animal de subiecto quidem dicitur aliquo homine, non est autem animal in aliquo homine. Amplius eorum que sunt in subiecto nomen quidem de subiecto aliquotiens nichil prohibet predicari. Rationem vero impossibile est. Secundarum vero substantiarum de subiectis ratio predicatur et nomen. Rationem enim hominis et animalis de aliquo homine predicabis. Quare non erit substantia eorum que sunt in subiecto.

Post enumerationem substantiarum et divisionem, in qua alias primas alias secundas esse proposuit, quoniam substantie diffinitio nulla est reddita, idcirco quod generalissimum genus diffinitionibus non tenetur, proprietatem quandam cupit exquirere quasi signum aliquod quo substantiam queamus agnoscere. Sed prius quod ipsis substantiis commune possit evenire proponit. Post vero quid illius proprium sit querit. Sed idcirco ista premittit ut ad illud verum proprium sine ullo errore perveniat, et quod vere est substantiarum proprium ultimum dicat. Tribus autem modis proprium significatur. Est enim proprium quod alicui speciei omni evenit et non soli, ut homini esse bipedem. Omnis enim homo bipes est sed non solus. Aves namque sunt bipedes. Aut soli et non omnibus, ut eidem homini evenit ut sit grammaticus, sed non omni homini. Neque enim omnis homo grammaticus est. At vero tertia proprii significatio est que omnibus et soli est et semper ut risibile. Omnis homo risibilis est, et solum est animal homo quod rideat. Ex his igitur illa duo superiora que diximus, ubi omnibus et non soli aut soli et non omnibus esse quedam propria dicebamus, a proprii veritate videntur esse aliena. Hoc vero tertium quod et omnibus inest et soli hoc vere est proprium. Illa autem superiora consequentia quidem dicuntur, non tamen vere propria. Hoc autem ultimum vere est proprium. Quecumque igitur talia propria aristotiles invenerit que aut solis et non omnibus substantiis aut omnibus et non solis eveniant, velut non vere in natura cuiuslibet constituta repudiat. Illud vero ultimum ponit quod et omni substantie et soli valeat evenire. Illa enim sunt propria que convertuntur, ut quicquid fue-